68
13 D
20

BVLLAE DIVERSORVM ROMANORVM PONT.

FACVLTATVM, ET PRIVILEGIORVM

Pro Fratribus Eremitis S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Piſis.



ROMAE,

Apud Hæredes Antonii Bladii, Impreſſores Camerales.

M D LXXIII.



BVLLA S. D. N. D. EVGENII DIVINA Prouidentia Papæ IIII. conceſſionis, & liberationis ab omni iuriſdictione fratrum Eremitarum ſancti Hieronymi, congregationis Beati Petri de Piſis.

Eugenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EA quæ pro religioſarum, præſertim Eremiticam vitam ducentium, perſonarum, ipſarumq; locorum ſtatu, pace,& tranquillitate, etiam per ſedẽ Apoſtolicam prouide proceſſiſſe comperimus; libenter, cum à nobis petitur, apoſtolico munimine roboramus. Dudum ſiquidem felicis recordationis Martini Papæ V. prædeceſſoris noſtri emanarunt litteræ tenoris ſequentis. Martinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Piæ poſtulatio voluntatis, qua dilecti filii Petrus de Piſis, & nonnulli alii eius ſocii eremiticam vitam ducentes, dediti ſtudio piæ vitæ in diuerſis Italiæ partibus, oratoriis, ſiue locis, mundanis abiectis illecebris, cum adoptione uoluntariæ paupertatis virtutum Domino famulantur; non indigne meretur, ut Apoſtolica ſedes eos, ipſorumq; loca, & oratoria benignis fauoribus confoueat, & ſpetialibus gratiis proſequatur, in iis præſertim, quæ animarum ſuarum, & ſtatus ſalutem reſpiciunt, & quietem. Sanè pro parte dictorum Petri, & ſociorũ nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet ipſi cupientes ſuos in cæleſtibus theſauros collocare, & ut ex eorum laudabilibus actionibus ad bene recteq; uiuẽdum traherent alios per exemplum; in diuerſis locis ſiue domibus, quas pro eorum vſu, & habitatione perpetuis piis Chriſti fidelium eleemoſynis, & ſuffragiis conſtruxerunt, deuotum, & ſedulum impendunt Domino famulatum; ad quos plurimi ob eorũ laudabilem vitam, & opera virtuoſa gerunt ſpetialis deuotionis affectum, tamen non nunquam contingit Petrum & ſocios prædictos per Inquiſitores Hæreticæ prauitatis in illis partibus pro

tempore reſidentes, & deputatos, ab eis ſub diuerſis prætenſis occaſionibus, fictisq; coloribus indebite moleſtari. Quare pro parte Petri, & ſociorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum; vt eorum paci, & tranquillitati ſuper iis paterna caritate conſulere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur cupientes vt iidem Petrus, & ſocii eo quietius, & deuotius in humilitatis ſpiritu altiſſimo famulentur, quo ſe nouerint eiuſdem ſedis uberiore gratia communitos, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati præfatos Petrum, & ſocios præſentes, & poſteros, eorumq; oratoria, loca, & domos conſtructa, & conſtruenda, vbicunque fuerint conſtituta, cum perſonis, iuribus, & pertinentiis, necnon poſſeſſionibus, terris, rebus, & bonis ſuis, quę ipſi in quibusuis locis legitime poſſident, & in poſterum dante Domino ex ſimilibus ſuffragiis fidelium, aut alias iuſtis titulis poterunt adipiſci, ab omni iuriſdictione, & poteſtate eorundē Inquiſitorum qui ſunt, vel pro tempore fuerint, auctoritate apoſtolica tenore pręſentium prorſus eximimus, & perpetuo liberamus: ac ſub beati Petri, & eiuſdem ſedis, necnon Ordinariorum locorum, in quorum Ciuitatibus, & Diœceſibus dicta bona, & oratoria conſiſtunt, protectione ſuſcipimus, atque noſtra; ipſosq; Petrum, & ſocios, liberos & exemptos eſſe decernimus & immunes, nobisque, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, & dictæ ſedi, ipſisq; Ordinariis immediate ſubeſſe, ita quod inſiquiſitores prædicti nullam poſſint in dictos Petrum, ſocios, loca, iura, & bona huiuſmodi quacunque ratione, cauſa, vel prætextu iuriſdictionem, uel poteſtatem exercere: ſed dumtaxat coram dicta ſede, uel eius Delegatis, aut Ordinariis prædictis teneantur reſpondere, felicis recordationis Innocentii Papæ IIII. prædeceſſoris noſtri, & qualibet alia conſtitutione apoſtolica contraria non obſtante. Decernentes inſuper ex nunc omnes & ſingulos excommunicationum, ſuſpēſionum, & interdicti ſententias, ac proceſſus quas, & quos contra Petrum, & ſocios præfatos promulgari contigerit, vel haberi, irritos pariter & inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ exemptionis, liberationis, ſuſceptionis, &

conſtr

conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Non. Iunii, Pontificatus noſtri anno quarto. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum uniuerſorū pauperum Eremitarum de ſocietate dicti quondam Petri de Piſis, Eremitam vitam ducentium, petitio continebat, ipſi Eremitæ litteras, exemptionem, & liberationem, necnon omnia & ſingula in illis contenta, quibus hactenus pacifice vſi ſunt, & utuntur, pro eorum ſubſiſtentia firmiori per nos confirmari deſiderent, pro parte eorundem Eremitarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt deſiderio ſuo huiuſmodi annuere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod illi ſunt ad gratiam admittendi, qui abnegantes ſeipſos, & carnem cum vitiis macerantes, ſequuntur Dominum, paupertatem voluntariam eligentes: huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, litteras, ac exemptionem, & liberationem aliaq; omnia, & ſingula in litteris contenta huiuſmodi, auctoritate apoſtolica ex certa ſcientia approbamus, confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus: ſupplentes omnes defectus ſi qui interuenerint in eiſdem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, communitionis, & ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit; indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Florentiæ, Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Tertio Cal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno decimo;

Gratis de mandato D. N. Papæ,

C. de Thomacellis,

BVLLA

BVLLA S.D. N.D. EVGENII DIVINA Prouidentia Papæ IIII. conceſſionis de caſibus, & de promotione ad ſacros ordines, & communicationis Priuilegiorum omnium ordinum Eremitarum ſancti Hieronymi, congregationis Beati Petri de Piſis.

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei

DIlectis filiis fratri Bartholo de Ceſena, ac vniuerſis Eremitis de ſocietate quondam fratris Petri de Piſis præſentibus, & futuris ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Prouenit ex veſtræ deuotionis affectu, quo nos, & Romanam eccleſiam reueremini, vt petitiones veſtras, illas præſertim, quę animarum veſtrarum videntur ſalutem reſpicere, quantum cum Deo poſſumus, fauorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod nos veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis omnibus & ſingulis auctoritate apoſtolica tenore præſentium indulgemus, vt confeſſores idonei, quos duxeritis eligendos, in vita confeſſiones audire, & omniũ & ſingulorum, qui in ipſa ſocietate pro tempore fuerint, ab omnibus caſibus, ſuper quibus etiam ſedes Apoſtolica merito eſſet conſulenda, pro ſemel tantum poſtquam in ſocietate remanere deliberauerint, in aliis vero caſibus quandocunque abſoluere poſſint, eis impoſita pænitentia ſalutari: & in mortis articulo ſemel tantum omnium peccatorum veſtrorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fueritis, plenam remiſſionem vobis in ſinceritate fidei & vnitate Sãctæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia, & deuotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum Canonice intrantium perſiſtentibus, eadem auctoritate concedere valeant. Ita tamen quod ipſi confeſſores de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam vobis per vos ſi ſuperuixeritis, aut per ſucceſſores veſtros, ſi tunc forſan tranſieritis, faciendam iniungant, quam vos vel illi facere teneamini. Et ne propter huiuſmodi gratiam reddamini pro

cliuio

cliuiores ad illicita in poſterum committenda, uolumus, quod ſi ex cõfidentia remiſſionis huiuſmodi aliqua commiſeritis, quo ad illa remiſſio ipſa vobis nullatenus ſuffragetur. Quodq; ſingu li dictæ ſocietatis, ſeu alii ſæculares, vel religioſi ſacerdotes, quos ſimiliter duxeritis eligendos, in veſtra, & vobiſcum commorantium perſonarum præſentia in oratoriis, eccleſiis, & locis eiuſdem ſocietatis nunc per vos acquiſitis, & inantea acquirendis, diœceſani loci, ſeu alterius cuiuscunque licentia minime requiſita, Miſſas, & alia diuina officia tam feriatis, quàm aliis diebus tempore congruo celebrare, Necnon Euchariſtiæ, Extremæ vnctionis, & alia quęcunque eccleſiaſtica ſacramenta, abſq; Parochiani iuris præiudicio, miniſtrare, ad quæ etiam ſuſcipiẽda extra loca, ſeu oratoria dictæ ſocietatis compelli non poſſitis: Quodq; ſacerdotes ſocietatis prædictæ cum omnibus & ſingulis Eremitis ipſius ſocietatis ſuper irregularitate per ipſos quoquomodo, vel ex quauis cauſa contracta, vt diuinis officiis, & obſequio miſſæ intereſſe poſſint diſpenſare, & infamiæ maculã abolere poſſint, & valeant: Inſuper quod cum excommũnicatis & interdictis, ſeu quauis cenſura ligatis, pro eleemoſynis ad ſuſtentationem vitæ veſtræ dumtaxat acquirendis, & non alias cõuerſari, ita quod hoc ad culpam vobis minime imputetur, poſſitis: Quodque in locis, & oratoriis per vos, & ſucceſſores veſtros acquiſitis, & acquirendis, altare portatile pro miſſis celebrandis, & aliis diuinis officiis in locis ad id cõgruis & honeſtis, cum debita reuerentia habere poſſitis: loca autem pro ſepeliendis Eremitis, & aliis ſeruientibus vobis per quemcunque, ſeu quoſcunq; catholicos Epiſcopos gratiam, & cõmunionem Apoſtolicæ ſedis habentes conſecrari, ſeu benedici poſſint: Quodq; omnes & ſinguli veſtræ ſocietatis, qui alias habiles & idonei reperti fuerint, a quocunque Antiſtite gratiam & communionem dictæ ſedis habente ad omnes etiam ſacros, & presbyteratus ordines alias rite promoueri, & in illis miniſtrare, proprii tamen Epiſcopi, ſub cuius diœceſi morã trahitur, licẽtia prius requiſita & obtenta, libere & licite valeant, auctoritate apoſtolica tenore præſentium indulgemus. Et inſuper, vt oratorium ſanctæ Mariæ Mag-

riæ Magdalenæ Paduanenſis, & alia quæcūque loca per vos acquiſita, & acquirenda, per ſocietatem præfatam, & eius nomine, cum omnibus & ſingulis iuribus, & pertinentiis eorum, abſq; impedimento, & contradictione cuiuſcunq; retineri, Necnon omnibus & ſingulis priuilegiis, indulgentiis, gratiis, indultis, & exemptionibus, quibus alia oratoria & loca Eremitarum vtuntur, & gaudent, etiam vti, & gaudere poſſint, & valeant, eadem auctoritate concedimus per præſentes Non obſtantibus conſtitutionibus, & prohibitionibus apoſtolicis ſpetialibus, vel generalibus, etiam ſi tales ſint, de quibus præſentibus ſpecialis & expreſſa eſſet mentio habenda, ceterisq; contrariis quibuſcunq;. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, & volūtatis infringere, vel ei auſu temerario cōtraire Si quis autem hoc attētare præſumpſerit, indignationē omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Ferrariæ, Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo, octauo Cal. Martii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Duplicata gratis de mandato D.N. Papæ.
C. de Arimino.

BVLLA S. D. N. D. EVGENII DIVINA Prouidentia Papa iiij. conceſſionis ſuper celebratione Capituli Generalis fratrum Eremitarum ſancti Hieronymi, congregationis beati Petri de Piſis.

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

SVper gregem dominicum noſtrę vigilantiæ diuinitus creditum intenti, ſpeculatoris prout nobis deſuper conceditur exercentes officium, Chriſti fideles ſingulos, præſertim Eremiticæ vitæ deditos, eo prouidentiæ ſtudio gubernate cupimus, vt cordium ſcrutator altiſſimus in eis nil inueniat nota dignū, ipſo-

13